DIEM SACRUM

AB S. LUDOVICI NOMINE

VOCATUM

IN HONOREM

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI

LUDOVICI III

MAGNI DUCIS HASSIAE ET AD RHENUM

CIVIBUS

ACADEMIAE LUDOVICIANAE

OMNI QUA PAR EST

OBSERVANTIA ET REVERENTIA

CELEBRANDUM

RECTOR CUM SENATU

INDICIT.

SUBIICITUR E. OSANNI P. P. O. ADNOTATIONUM CRITICARUM IN QUINTILIANI INST. ORAT. LIB. X. PARTICULA IV.

GISSAE.

TYPIS G. D. BRUEHLI I.

MDCCCL.

CAPITIS PRIMI

§. 46.

Hic enim, quemadmodum ex oceano dicit ipse amnium vim fontiumque cursus initium capere, omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit.

Quae hoc de loco sub calcem harum lucubrationum Quintilianearum Part. III. a. 1845 vulgatae conscripsi, eorum quum adhuc me non piguerit, nunc data hac occasione in tela pertexenda mea ab hoc ipso loco proficiscendi, non tanti videretur retractare, nisi admonerer de dubitatione, in quam vidi sententiam a me olim iam ad Cornutum p. 129 propositam, posthac curis secundis subiectam, incidisse. Scilicet quum legendum suasissem *omnium amnium fontiumque cursus,* Mullachius in censura, cui Cornutum a me editum subiecit [1]), eam scripturam sibi displicere adnotavit, non alia causa allata, quam quod quum ego ad firmandam lectionem *omnium* ad exemplar Homeri Iliad. φ, 195 a Quintiliano manifeste expressum provocassem, incertum esset, Homericum locum num scriptor ad verbum reddere voluisset necne. Hac de re quid statuendum sit, minime incertum est: immo certissimum cum Homero Quintilianum comparanti esse videbitur, hunc poetae verba in breve contracta suam in rem convertisse. Sed haud minus certum, nihil plane Quintilianum dixisse, si omisisset id cuius gratia Homeri sententiam mutuatus est, omnes omnino liquores ex Oceano promanasse, non singulos aliquos. Quocirca, ipsa re postulante, *omnium* addere quoquo loco Quintilianus debuit: atque id reapse olim scriptum fuisse, ostendunt quae imagini ab Homero petitae in altero comparationis membro opponuntur verba *omnibus eloquentiae partibus etc.* Sed satis verborum in re perspicua: pudet repetere pluribus olim iam monita.

1) Jahrb. für wissensch. Kritik 1846. Nr. 20. p. 154.

§. 47.

Nam ut de laudibus exhortationibus, consolationibus taceam: nonne vel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio, vel dictae in secundo sententiae omnes litium ac consiliorum explicant artes?

Spaldingiana haec loci scriptura, a subsequentibus editoribus sine offensione repetita, multis, nisi magnopere fallor, nominibus laborat. Ac primum etsi tantum abest ut in tribus illis vocibus *laudibus, exhortationibus, consolationibus* sine copula iunctis ullus offendendi locus sit, ut omissio copulae consuetudini scriptoris consentanea videatur, tamen quum eius usus haec ratio sit, ut copula tum omittatur, quum alia plura, quae addi insuper potuissent, cogitari possint, ut v. c. VI, pr. 10. 2, 20. XI, 3, 83, sequitur ut ubi alia nonnulla, ut nostro loco fit, praeterea subiiciuntur, quae in sola ante positorum explicatione vel amplificatione versantur, legitimus copulae locus sit. Haec quum ita sint, eo minus de scriptura plurimorum codicum, qui *consolationibusque* exhibent, dubitandum erit, quo maior ipsorum fides et praestantia est. Sunt enim in his Turic. Flor. et Paris. uterque, quorum auctoritatem aegrius deseras, quod item cadit in aliam huius loci vocem, de qua nunc dicendum. Etenim quod vulgatur *nonus,* id codices tantum non omnes respuunt, in uno fortasse Gothano, quem pessimis adscribendum esse constat, repertum. Num vero tam abiecta videatur librorum, quibus praeter Bambergensem, de quo dixi Part. III., etiam Sichardianus accedit, lectio *unus,* ut tantas auctoritates, quibus ea nititur, nihili pendamus? At opus est libri Homerici designatio, uti factum mox in commemoratione libri primi et secundi. Minime vero. Plane diversa forma est commemorationis utriusque; quum in altera dicuntur vel contentio illa ducum in primo libro, vel dictae in secundo sententiae omnes litium artes explicare, minime pari modo idem explicare dicitur legatio ad Achillum missa in nono, sed laudatur liber, quo quid contineatur, in appositione adiicitur. Quidni iam *unus* liber eo sensu recte dicatur, ut liber unus pro ceteris omnibus allatus significetur, eadem vi qua v. c. dictum VI, prooem. 5 *ego vel hoc uno malo sic eram afflictus,* et sexcentis aliis eius generis locis? Ex Quintiliano solo comparare iuvat, huius cap. §. 69: *qui vel unus, meo quidem iudicio, diligenter lectus, ad cuncta quae praecipimus efficienda sufficiet.* Plura dabit Bonnell. Lex.

Quintil. v. *vel* p. 938. Sed nondum dimitto hunc locum, probabili, ut arbitror, coniectura persanandum. Turic. Flor. pr. m. et Almelov. post *dictae* inserunt *in dicendo,* quod nullo modo admitti posse editores intellexerunt, ita ut huius lectionis iam vix mentio ulla amplius fiat. Unde vero, quaeso, illam? Quaeritur quasnam Noster sententias in secundo Iliadis respexerit. Non potest dubitari quin Ulixis, Nestoris, Agamemnonis orationes illas pro concione habitas in mente habuerit, quibus Achivis reditum in Graeciam meditaturis atque in ipso discessu iam versantibus suadere studerent, ut consilio mutato Troiae expugnandae rursus operam darent. Vide v. c. vs. 284 et seq. Huius rei fortasse mentio licet brevissime a Nostro facta, sicuti idem quid in nono, quid in primo Iliadis libro contineatur, breviter indicavit. Haec eo me ducunt, ut in verbis *in dicendo* illud ipsum latere credam, h. e. *in discedendo.* In qua lectione si nimia breviloquentia offendare, cogita, rem significari nemini non notam. Simili librariorum errore olim corruptus fuit Cod. Vaticanus Ciceronis de rep. I, 8, ubi v. nobis notata. His positis totus locus iam ita prodit, opinor, emendatior: *Nam ut de laudibus, exhortationibus, consolationibusque taceam: nonne vel unus liber, quo missa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio, vel dictae in discedendo in secundo sententiae, omnes litium ac consiliorum explicant artes?*

§. 48.

Age vero, non utriusque operis ingressus in paucissimis versibus legem prooemiorum, non dico, servavit, sed constituit?

Quintilianus, nisi hoc loco prorsus ineptiit aut dormivit, non potuit non Homerum ipsum, qui prooemiorum legem constitueret, qui docilem auditorem faceret, in mente habere. Haec enim omnia si ad *ingressus* tamquam personam referantur, non recte procedere orationem, optime sensit Spaldingius, in refingenda loci scriptura iusto meticulosior. Nec quidquam a vulgata recessit Frotscherus. Revocanda, si quid video, Badii scriptura *operis sui ingressu,* ex ipsis codicibus aliquatenus confirmanda. Plures enim quibus nunc accessit Bambergensis, post *operis* inserunt *si,* quod unde irrepserit nemo facile dicat, nisi ex *sui* corruptum existimetur, quod ipsum praestat Flor. m. sec. In qua lectione nihil mutatur nisi *ingressus* in *ingressu,* quae quam facilis sit mutandi

ratio sponte apparet. Possit quidem abesse *sui* sine sententiae detrimento: sed appositum malim, quo clarior procedat persona in *servavit* et *constituit* mente intelligenda. Mecum in hoc loco constituendo sentit, ni memoria fallor, Herzogius: nam casu singulari accidit, ut scribenti haec mihi editio eius praesto non sit. Continuo sequuntur:

> *Nam benevolum auditorem invocatione dearum, quas praesidere vatibus creditum est, et intentum proposita rerum magnitudine, et docilem summa celeriter comprehensa facit.*

Huc facit locus IV, 1, 5, ubi de prooemiis agitur, in primis hic conferendus: *Causa principii nulla est alia, quam ut auditorem, quo sit nobis in ceteris partibus accommodatior, praeparemus. Id fieri tribus maxime rebus inter auctores plurimos constat, si benevolum, attentum, docilem fecerimus.* Quas tres res in sequentibus Noster multis persequitur. Ceterum valde memorabilis lectio Turic. et Flor. pr. m. cum Bamberg. *creditur* m̄. (sic) pro *creditum,* in qua vereor ne germana loci scriptura lateat. Sed non contigit ex istis litterarum vestigiis aliquid eruere, quod probabilitatis speciem prae se ferret. Erat quum cogitarem, sepultum latere *crediderunt.*

§. 49.

> *Ut etiam, qui de artibus scripserunt, plurimi harum rerum testimonium ab hoc poeta petant.*

Debetur haec loci scriptura Spaldingii acumini, cuius coniecturam cupidius arripuerunt et Gernhardius et Frotscherus. Vellem vir sagacissimus rationes exposuisset, cur optimae optimorum codicum lectioni *plurima har. rer. testimonia* aliam substitueret, quae ne menti quidem scriptoris plane satisfacit. Quotus enim quisque fuit artium scriptor, qui exempla figurarum non ab Homero potissimum tamquam primario eloquentiae omnis fonte petierit? quod Fabius neque ignorare potuit neque ignoravit. Non debebat igitur *plurimi* dicere, quod insuper durius cum *qui* iunctum est. Atque quod pertinet ad librorum auctoritatem, *testimonium* quidem tenent Flor. et Turic. cum Bamberg. sed *plurime* vel *plurimae* iidem atque hic a sec. m. cum reliquis libris *plurima,* quemadmodum etiam Turic. et Flor. m. sec. *testimonia* exhibent. De eximia

autem virtute curarum secundarum, quibus Turic. et Flor. submissi fuerunt, dictum Part. I. p. 8.

§. 50.

Nam epilogus quidem quis unquam poterit illis Priami rogantis precibus aequari?

Bona de hoc loco in promptu est neque silentio premenda G. Bauschii Darmstadiensis, Seminarii philologici Gissensis nuper sodalis, eodem nomine iam supra a nobis laudati[2]), nunc in gymnasio Budingensi praeceptoris munere naviter fungentis observatio: qui quum hunc Fabii locum in scholis Seminarii a. 1841 interpretaretur, plurimorum et meliorum librorum lectionem *nam et epilogus* revocandam esse vidit: copula enim adiecta perspexit melius epilogum significari quintam earum partium, quibus auctor ipse orationem constare distinguique doceret, VIII. prooem. II, exordio, narratione, confirmatione, refutatione, peroratione; videlicet has omnes partes hic seorsim in praecedentibus perlustrari: exordium verbis §. 48 *age vero* seq.; narrationem verbis §. 49 *narrare vero* etc.; confirmationem verbis §. 49 *similitudines* etc.; refutationem verbis §. 49 *quae probandi ac refutandi sunt.* His denique addi *epilogum,* qui sit idem quod peroratio.

Nonne humani ingenii modum excedit? ut magni sit viri, virtutes eius non aemulatione, quod fieri non potest, sed intellectu sequi.

Verba *ut magni sit viri,* quae duce Spaldingio Gernhardius patienter invitis adeo libris melioribus, vocem *viri* omittentibus, repetiit, corruptela laborare tandem editores intellexerunt. Parum enim esset pro facultate magni viri, Homerum intellectu tantum sequi; quo iam nomine eum virum appellemus, qui plus valeat? Recte Enderlinius Comm. II. de cod. Bamberg. Quintiliani p. 5, ubi *viri* pariter a Bamb. abesse notatur: „Magnum enim virum non illum nominamus, qui scite interpretatur carmina Homeri, sed qui rerum gestarum gloria excellit.“ Atque magni viri gravitatem quanti aestimarit, Quintilianus ipse prodidit loco apprime huc faciente, II, 5, 21: *nam neque vim eorum adhuc intellectu consequentur; et elocutione, quae tum sine dubio erat optima, sed nostris*

2) Part. I. p. 18.

temporibus aliena, contenti, quod est pessimum, similes sibi magnis viris videbuntur. In hoc rei statu quod et tutissimum et promptissimum videbatur, ut *v. viri* deleretur, id plurimi editores cupide arripuerunt, de sensu *magni* parum curiosi, fortasse in delenda voce de reddenda codicum scriptura unice solliciti, quorum de ratione Zumptius: „si cogitent *ingenii* ex praegressis, non repugno, si *viri,* vix fero.“ Recte quantum ad cogitandum *viri:* sed vereor, ne eadem reprehensio in intelligendum *ingenii* cadat, ab isto haud multo diversum, quum praesertim meminerimus, quale veteres ingenium esse existiment, quod magnum appellari mereatur; quod optime perspicitur ex *magni ingenii* Lucullo tributi descriptione Tulliana Acad. II, 1. Quid scripserit Quintilianus unus Genslerus perspexisse videtur, quum omisso *viri* pro *magni* legendum proponeret *magnum,* Anal. p. 34. Exemplum dictionis *magnum est* sequente infinitivo ex Fabio in promptu non est: ex Cicerone plura vel Nizolius suppeditabit.

§. 52.

Raro assurgit Hesiodus magnaque pars eius in nominibus est occupata; tamen utiles circa praecepta sententiae levitasque verborum etc.

Ut suum cuique reddatur, verbo monendum, id quod iam olim commendaverat Gesnerus ut *levitas* pro *lenitas,* quod vulgabatur, reciperetur, iam ante Spaldingium calculo suo comprobasse Morgensternium Prooemio ad indicendas praelectiones semestres univ. Dorpatensis a. 1811 scripto, quo „Quintilianea quaedam“ tractantur, p. V: quae scriptio Spaldingii diligentiam omnino fugisse videtur.

§. 54.

Appollonius in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes, poetarum iudices, neminem sui temporis in numerum redegerunt.

Nemo in hac lectione, quam Spaldingius nonnullorum codicum recentiorum auctoritatem, ut videtur, secutus, exhibuit, verborum sensus si ratio unice habetur, offendet; sed quo minus ea pristinam scriptoris manum restitui contendamus, mira scriptura impedimur cod. Turic. et Alm. *iudicium* exhibentium, quod quum librarii a nexu verborum alienum esse animadverterent, illico in

iudicio mutarunt, scilicet arreptum ex §. 59 *Aristarchi iudicio,* quod nunc in aliquot codd. reperitur atque in Geelio [3]) nuper defensorem invenit. Frustra: expectasses certe scriptum *in iudicio;* quam praepositionem oblitteratam per me licet extrices ex ultima syllaba vocabuli praecedentis *poetarum.* Sed ita ut rescribatur, semper admodum languescet totum hoc additamentum, nisi adiectum eo consilio cum Geelio putaveris, ut id iudicium poetarum discerneretur ab alio, quo de prosae orationis scriptoribus ab Aristarcho Aristophaneque iudicatum fuisset. His vero opponendum, primum nullam cogitari posse caussam, cur Fabius illius discriminis mentionem fecerit, nisi simul significare voluerit, in altero iudicio ipsorum temporis scriptores ab illis in ordinem receptos fuisse, quod quum per se probabile non videatur, tum ante non potest omnino admitti quam demonstratum fuerit, tale iudicium ab illis revera profectum fuisse, quod adhuc demonstratum non est: deinde Geelii si sequare sententiam, necesse est statuamus, iudicium illud coniuncta grammaticorum illorum opera confectum fuisse, de qua quidem operis communione nihil constat. Adde quod ipse Fabius mox l. l. separatim de Aristarchi iudicio verba facit, ita ut utriusque grammatici iudicia distinxisse putandus sit. Quae vero de verbis *poetarum iudicio* monui, eadem fere ratione pertinent ad alteram lectionem *poetarum iudices,* quae insuper etiam eo laborat, quod admodum languidae appositionis speciem prae se fert: si vero honoris caussa Quintilianus adiecit, Aristophanem et Aristarchum poetarum iudices fuisse, vereor ne ineptus fuerit. Unde vero iam illud *iudicium* codicum? Quod si dicamus cum Frotschero, qui defendit, ita positum esse, ut pro concreto abstractum dictum sit, Fabium dicemus inepte scripsisse. Nihil vero horum, opinor, scripsit, si quidem recte censeo verba *iudicium poetarum,* ex quibus reliquae lectionis discrepantiae promanarunt, a librario, qui de poetarum censura hic agi adnotare volebat, margini adscripta fuisse, unde in ipsa contexta postmodum transierunt, eodem plane modo, quo illud ἔπαινος Αἰσχίνου in Philostr. Vit. Soph. I, 18, 3 verborum ordinem invasit, codicibus aliquot, ut olim monui, ipsam corruptelae originem luculenter ostendentibus [4]). Atque Quintiliani textum glossematis passim commaculatum esse ostendit exemplo idoneo Spengelius Art. script. p. 184. Alia suis locis notabimus.

3) Bibl. crit. nov. Vol. III. p. 276.

4) V. Wolfii Anal. litt. T. IV. p. 532. Hoc genus adnotationis glossographis familiare fuisse, apprime duo docent exempla nunc in Scholiis reposita, ἔπαινος ὁπλίτου adscriptum Eurip. Herc. F. 160, et ψόγος Ἡρακλέους ὡς τοξότου ibid. 154.

non tamen contemnendum edidit opus aequali quadam mediocritate.
„Scripsi *(reddidit)* ex Alm. cum etiam in Turic. Flor. (a pr. m.) Goth. et Voss. 2 esset *reddit,* quod Frotscher dubitans retinuit; Spald. cum edd. *edidit.* Cf. XII, 5. init. VIII, 5, 35. ubi *reddere* significat *proponere.*" In his, quae posuit Gernhardius, desidero viri acutissimi diligentiam, quippe non attendentis, ubi ea vi verbum *reddendi* positum esse videatur, intelligi promissum quoddam vel exspectationem, cui satisfaciendum sit, id quod manifeste fit in locis allatis, haudquaquam vero in nostro. Ne hoc temere dixisse videar, posterioris loci solius verba laudabo: *Reddam nunc quam proximam partem dixeram esse de tropis,* de quo toto genere antea se dicturum auctor significarat. Simile est Ciceronis illud or. pro Quinctio 22, 71: *neque iudicium redditum est usitatum,* h. e. neque iudicium datum est Quinctio illud quod ut usitatum ipsi datum iri exspectare vel postulare poterat. Quae quum ita sint, acquiescendum in vulgata editionum lectione *edidit,* etiam in Sichardiana reperta, cui si qua fides tribuenda est, unum certe eius scripturae habemus auctorem non spernendum: nam de lectione eorum codicum, de quibus siletur, anceps est iudicium. At tametsi in dubium non vocandum, quin Quintiliano *edidit* scribere licuerit, tamen quum minus de opere vulgando quam de componendo sermo sit, fateor rei accommodatius fuisse *condidit,* quod si ponamus nullius codicis auctoritate illam scripturam niti, nihilo certe ea inferius videbitur.

§. 56.

Quid? Nicandrum frustra secuti Macer atque Virgilius?

Frotscherus lectore nihil monito *quid* solus omisit, omissum sane in Turic. Flor. et Almelov., sed incuria, credo, librariorum, qui in hac eiusdem voculae repetitione facile errare potuerunt. Si abest, plane deformatur iusta singulorum orationis membrorum aequabilitas. Aliud pluries repetitae interrogandi particulae *quid* in simili membrorum progressu exemplum exstat I, 4, 16.

§. 60.

Summa in hoc [Archilocho] *vis elocutionis, cum validae, tum breves vibrantesque sententiae, plurimum sanguinis atque nervorum, adeo ut videatur quibusdam, quod quoquam minor est, materiae esse, non ingenii vitium.*

In vulgata hac usque ad Spaldingium lectione primus iure suo haesit Genslerus, qui quum verba *quod quoquam minor est* iusto sensu carere intelligeret,

reponendum suasit *quod quandoque minor est* (scil. se ipso), ad sententiam haud male, nisi rursus in voce *minor* haerendum esset, ut statim ostendetur. A Gensleri autem offensione profectus Frotscherus loco succurrere instituit legendo *quondam* pro *quoquam,* a qua lectione in contextum suscipienda caute abstinuit. Ea enim qua vult Frotscherus potestate, ut *quondam* pro interdum dictum sit, non memini vocem alibi nisi apud poetas legere; tum *quoquam,* ex quo scriptura illa ducta est, ipsum parum fidei habet, quandoquidem sola Turicensis, quem altera manus correxit, et fortasse Bambergensis auctoritate sustentatur. Turic. sec. m. *quoque,* Flor. *quo que,* sed m. sec. cum reliquis codd. insigni consensu *quidem.* Reiecta Frotscheri coniectura, simul etiam deserenda videbitur vulgata *quoquam,* quam si Gernhardius ita interpretatur, ut *poetarum* mente supplendum dicat, vereor ne Quintilianus, quum unus aliquis ex omnibus voce *quoquam* non possit non intelligi, quiddam dixerit, de quo ne in somno quidem cogitasset, omnium poetarum Archilochum infimum fuisse. Postremo nihil magis ad locum expediendum coniectura confert Censoris cuiusdam Paedag. phil. Litteraturbl. 1827. Sect. II. No. 27. p. 238, pro *quod quoquam* reponi iubentis *quidquid,* potestate adverbii, quod quo modo recte fieri possit, fateor me non perspicere. Illud vero ipsum *minor,* in quo nemo adhuc offendit, a suspicione liberum non est. Quod si ita interpretati sunt, ut intelligatur *se ipso,* id non solum durius dictum est, sed consuetudini adversatur, quam in hoc genere loquendi Fabius servat, qui quo aliquis minor sit, eum designare non negligit, veluti §. 74. Tum vide in eadem sententia quam aliter ipse maluerit dicere, §. 103: *in quibusdam suis ipse viribus minor.* Neque denique minor si dicitur Archilochus, possunt intelligi ceteri duo iamborum scriptores, quibus minor fuerit, quippe quos nemo umquam Archilocho anteposuerit. In hoc caussae statu ante omnia quaerendum, quid id sit quod quibusdam reprehendendum in Archilocho visum sit: quod nexus verborum abunde docet non posse non ex iis repeti, quae modo de proprietate elocutionis Archilocheae apposita sunt. Igitur si quando minor fuisse diceretur, statuendum, in reprehensionem ideo eum incurrisse, quod a vi illa elocutionis nonnumquam defecisset: quod absurdum est. Immo veteres magistri, quorum testimonia collegit Liebelius ad Archil. fr. p. 37, in Archilocho longe aliud quiddam vituperarunt, nimium acerbitatis virus et procacitatem quam in eloquendo effudisset, ut adeo argumenta ab eo tractata a nonnullis, veluti a Plutarcho, reprehensa fuerint. Itaque iure exspectaveris Quintilianum fere dicentem, quod quandoque acerbior

atque impudicior sit, id materiae, non ingenii vitium esse. Haec sententia tentandum ut, si fieri potest, ex contextu verborum ipso efficiatur. Ac primum nullam video caussam quod plurimorum optimorumque librorum scripturam *quidem* aspernemur: qua admissa facilior aditus patebit ad corrigendum id quod aperte in vitio cubat, h. e. *minor,* ex quo si praecedentis vocis litteram postremam adsumamus, non negaveris lenissima mutatione prodire *inmitior,* vel *immitior,* quae vox si pro re lenior videatur, cogita Fabium qui ex tribus iamborum scriptoribus Archilochum maxime ad ἕξιν pertinere statueret, hoc de vitio lenius iudicare debuisse. Eodem sensu dixit V, 13, 25: *si acri et vehementi fuerit usus oratione, eandem rem nostris verbis mitioribus proferamus.* Si vero standum est in lectione *quoquam,* aptum ea praeberet sensum hunc, ut omnium poetarum Archilochus immitissimus fuisse diceretur: quod et indoli carminum eius et testimoniis veterum plane convenit.

§. 63.

Alcaeus in parte operis aureo plectro merito donatur, qua tyrannos insectatus multum etiam moribus confert.

Non perspexerunt loci rationem, qui ex tantum non omnibus codicibus *quia* pro *qua* reposuerunt, Frotscherus et Gernhardius, non satis attendentes in vim loci Horatiani, quem Fabium respexisse cum Spaldingio iidem bene adnotarunt, Carm. II, 13, 25:

et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
dura fugae mala, dura belli;
utrumque sacro digna silentio
mirantur umbrae dicere: sed magis
pugnas et exactos tyrannos
densum humeris bibit aure vulgus.

Etenim quum hoc loco poeta non de universo poeseos Alcaicae genere agat, sed eam tantum carminum eius partem tangat, qua et exsilium suum et odium inde in patriae principes, Myrsilum et Pittacum, conceptum decantaverat, debuit Fabius eum quo id factum operis locum diligenter designare, quod quum scriberet *in parte operis — qua,* perspicue fecit. Quam vim verborum significasse et Spaldingius videtur, quum verba *in parte* interpretanda esse *ob partem, de parte* adnotaret. Praeterea si quod Alcaeus tyrannos insectatus

esset, aureo plectro eum dignum Quintilianus censeret, quae sententia sane ex lectione *quia* prodit, vereor ne quid dixisset, quod ab hoc loco, ubi quatenus poetae illius ingenium et elocutio ad oratorem formandum conferant exponitur, omnino alienum fuisset. At vero quam cum prioribus editoribus Spaldingius lectionem exhibuit *qua,* eam Parisiensium unus confirmavit: quibus nunc etiam Bamberg. accessit neque ego in tam frequenti utriusque voculae confusione in Mss. temerarium censerem, qui *quia* vel invitis codicibus reposuisset.

et plerumque Homero similis

Ita quidem Spaldingius ex superiorum editionibus vulgavit, recte tamen in notis monens *oratori* pro *Homero,* quod primum in ed. Coloniensi 1527 teste Frotschero, ex coniectura, ut putare fas est, comparuit, restituendum esse, id quod expresserunt nunc et Frotscherus et Gernhardius. Sed quod iidem cum ceteris retinuerunt *et plerumque,* id vereor ut genuinum sit, si quidem parendum est codicibus, quorum Flor. Guelph. cum edd. Sichard. Basil. aliisque *plurimumque;* Par. 2 *plurimum,* Par. 1 cum Camp. *et plurimum.* Vulgata igitur lectio, quum sola auctoritate Turic. Bamb. et Goth. nitatur, si quidem ita ex silentio editorum coniicere fas est, cedat oportet alteri. Utrum vero *et plurimum,* an *plurimumque* legendum sit, id in medio relinquo. Ceterum cum scriptura revocata *oratori,* ad quam verbo revertendum, comparanda sunt quae §. 65 de Theopompo scribuntur: *ut in historia praedictis minor, ita oratori magis similis.* Neque si reputaveris ex sequente voce primam litteram vocabulo *oratori* adiici potuisse, origo lectionis falsae *orationis,* quae in codd. nonnullis fertur, latet.

§. 64.

Simonides, tenuis alioqui.

Ad haec Spaldingius: „Non memini, qui praeterea sic sentiat de Simonide," neque se meminisse ait Frotscherus, neque ego qui disertis verbis dixerit novi quemquam. Sed potest fortasse laudari Dionysius Hal., qui de compos. verbor. 28. p. 342 ed. Schaef. Simonidem una cum Sappho inter exempla χαρακτῆρος γλαφυρᾶς καὶ ἀνθηρᾶς συνθέσεως affert: quo charactere Dionysius si non prorsus idem genus orationis designat, quod inter grave et medium a rhetoribus collocatur, tamen is a genere illo ἰσχνῷ non prorsus abludere videtur, quandoquidem ponitur inter χαρακτῆρα αὐστηρᾶς ἁρμονίας et κοινῆς εἴτε

μέσης. Atque etiam Demetrius de elocut. §. 36 γλαφυρὸν λόγον et ἰσχνὸν, h. e. tenuem, nonnumquam misceri dicit. Ceterum quod hic dicitur *sermo proprius,* cuius loco Spaldingius exspectaverat *sermonis proprietatem*, id technicorum praeceptis consentaneum. De ἰσχνῷ genere loquendi ita Demetrius §. 194: τὴν δὲ λέξιν εἶναι πᾶσαν χρὴ κυρίαν καὶ συνήθη. μικρότερον γὰρ τὸ συνηθέστερον πάντων· τὸ δὲ ἀσύνηθες καὶ μετενηνεγμένον, μεγαλοπρεπές. Atque μεγαλοπρεπείαν rursus Dionysius alio loco, quem Spaldingius excitavit, a Simonide abfuisse testatur.

praecipua tamen eius in commovenda miseratione virtus

„Turic. Flor. (hic a pr. m.) *c. miserationis.* Ille a sec. m. *commovendo miserationis,* et sic Camp. Facile corrigas *miserationes;* sed contorta oratio.“ Haec Spaldingius, qui ceteris editoribus ita persuasit, ut eam scripturae varietatem ne commemoratione quidem dignam existimarint. Habent sane verba *in commovendo miserationes* quo displiceant, minime vero ob constructionis rationem, quam contortam orationem ego non appellaverim, quum praesertim eadem loquendi forma etiam alibi Fabius usus sit, veluti III, 8, 39: *obiiciendo aliquos metus.* Quod exemplum cum aliis Bonnellus Lex. Quintil. p. LXVII, ubi scriptori hic participii usus vindicatur, produxit. Adde infra §. 84: *probando quae instituerant.* Sed displicet pluralis *miserationes,* per se non vituperandus, propter significatus proprietatem, quandoquidem eo non affectus in aliis commoti, sed rationes, quibus ad commovendos aliorum animos utimur, eo certe loco solo, quo pluralis adhuc repertus est, significantur, Ciceronis Brut. 21, 32: *ut miserationibus, ut communibus locis uteretur.* Neque aliam vim pluralis vocis, ad similium analogiam si exigitur, habere potest. Rem igitur malo in medio relinquere, quum praesertim etiam Bamberg. *miserationis* offerre animadvertam.

§. 65.

Antiqua comoedia cum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimae libertatis, etsi est insectandis vitiis praecipua, plurimum tamen virium etiam in ceteris partibus habet.

Ita quidem post alios Spaldingius, sed simul monito lectore, scabri quid in hac verborum constructione inesse sibi videri, quod nemo qui locum paullo attentius examinaverit, diffitebitur. Cui vitio tollendo egregia succurrit Wolffii

emendatio, etiam Zumptio probata *libertatis est, et insectandis vitiis praecipua; plurimum tamen* etc.: quam quo minus in contextum suscipiamus non haesitandum est. Nam quod proposuit Morgensternius l. l. ut interpungeretur *facundissimae libertatis. Etsi est* etc., id non satis est ad restituendum orationis nitorem. Sed restat vitii hoc loco aliud quiddam, leve quidem, nec tamen praetereundum. Quod enim olim in Edd. voci *insectandis* praemittebatur *in*, id quidem nunc auctoritate tantum non omnium codicum an iure de medio sublatum sit, dubitari licet. Etenim non solum paullo ante exstat *praecipua in commovenda miseratione virtus*, et paullo post §. 68 *in iis, qui miseratione constant, facile praecipuus*, sed ita constanter voci *praecipuus* Fabius praepositionem adiungere solet, videlicet Ciceronem suum imitatus, qui, si recte memini, numquam aliter dixit. De ceterorum scriptorum usu nunc non quaero: quorum unum afferam Florum, qui quum III, 1, 2 scripsit *ut rex fraude praecipuus fraude caperetur*, videtur consulto ita scribendo in repetitione eiusdem formae faceti aliquid sectatus esse. Librarii, qui nostro loco praepositionem delerunt, offensi fortasse fuerunt sono scilicet malo in concursu eiusdem voculae *in*, quem veteres scriptores non tam delicatis auribus fuere ut devitare magno opere studuissent. V. quae Otto ad Cic. de rep. ed. meae p. 468 ea de re adnotavit. Ne multa, in Fabio ipso, II, 2, 8 exstat *in infinitum*. Neque respuit Tullius, v. c. de rep. VI, 17: *in infimo*.

§. 66.

Tragoedias primum in lucem Aeschylus protulit.

Huic Spaldingianae lectioni, quam expressit Gernhardius, Zumptius apposuit „Corrige *primus*, sicuti libri editi omnes habent." Hoc autem ne verum quidem: in Sichardiana certe *primum* exstat. Itaque dubitare fas est, an *primum* calami errore a Spaldingio scriptum sit. De codicum scriptura nihil reperio adnotatum, praeterquam quod nunc de Bamberg. *primus* offerente constat. Atque mirum §. 80, ubi vulgatur *quamquam is primus eloquentiam inclinasse dicitur*, Turic. et Flor. *primum* exhibere, cum Bamberg., ubi Enderleinius p. 7 apte adnotavit: „*primum*, tametsi contra vulgaris grammaticae rationem, tamen minime insolitum (cf. Ruhnk. ad Terent. Andr. 1, 3, 6), ut in illius praecepti gratiam ab optimis ad deterioris notae codd. desciscere non ausim." In constructione suspensa constat legitimo usu receptum esse *primum*. Cic. de rep. I, 14: *eam a Thalete Milesio primum esse tornatam.*

§. 67.

Quorum in dispari dicendi via uter sit poeta melior, inter plurimos quaeritur.

Pro *uter* codicum ii, qui maximopere in censum veniunt, Turicensis et Florentinus vel *uter quidem*, vel quod eodem redire videtur, *uterque*. Cuius lectionis ut vestigia aliquatenus servaret, Frotscherus, probante Censore in Paedag. philolog. Literaturblatt 1827 Nr. 27. p. 238, *uterne* legendum suasit, quod vereor ut Latinum sit. Ut enim ita tulerit consuetudo dicendi, etsi eius formulae nullum mihi quidem exemplum in promptu est, tamen non aliter dici potuisse nisi sequente *an* cum altero orationis membro, apparere videtur: quemadmodum sane *utrumne* apud Fabium et Auctorem dialogi de oratore dicitur, quorum locos notavit Spalding. ad V, 11, 28, quibus adde XII, 1, 40. Quod vero idem ex Cic. de inv. II, 39 affert exemplum, id sola Lambini, quantum quidem Orellius adnotavit, lectione nititur. Atque illud ipsum quod in Tulliano fragmento, quod Quintilianus V, 11, 28 laudat, *si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrumne illius, an tuum malis,* perincertae fidei est, quum ap. Cic. de inv. I, 31, unde Fabius sua hausit, *utrumne,* Orellio monente, in uno cod. Turicensi reperiatur. *Utrumne* quidem Kleinius in Seebodii Bibl. crit. 1823. No. 4. p. 459 vindicare studebat Ciceroni or. pro Mil. 2, ubi vulgatur: *eam potestatem omnem vos habetis, ut statuatis, utrum nos, qui semper vestrae auctoritati fuimus, semper miseri lugeamus, an diu vexati a perditissimis civibus, aliquando recreemur.* Ibi quum pro *utrum nos* in cod. Duisburgensi etiamtum neglecto *ratum ne nos* ferri animadverteret, in ea lectione suspicatus est latere *utrumne nos.* At antequam hoc probemus, ea dicendi ratio indubio, ut diximus, Ciceronis exemplo firmanda videtur: quae enim leguntur apud Goerenzium Kleinio laudatum ad Acad. II, 22, p. 133 (Garatonium ad II Philipp. c. 12, 30. T. 1. p. 253, quem idem conferri iubet, inspicere non licet), ea aliena sunt: immo ita comparata sunt, ut si eo dicendi genere Cicero usurus fuisset, orationem alio modo conformasset. Scripsisset enim, ut coniicere fas est, *utrum nos, qui semper fuimus, semperne miseri lugeamus, an* etc. prorsus ut in illis a Goerenzio ex Tusc. IV, 4, 19 excitatis: *Utrum igitur mavis statimne — an — paullulum remigare,* ubi *statim* et *paullulum* sibi opponuntur, uti loco nostro *semper miseri lugeamus* et *diu vexati recreemur.* Igitur Quintiliani loco, ad quem revertor, interim nobis cavebimus a

probando illo Frotscheri commento, quum praesertim nihil impediat, quo minus *uter quidem* scribamus, fide codicum satis, ut videtur, munitum et sententia minime obscura. Verbo tangam formam Graecam *Euripiden* sub calcem huius §. ex Turic. a Frotschero recte revocatam, cuius loco Gernhardius vulgarem restituit, de genuina horum nominum scriptura apud Quintilianum non sollicitus. Turicensi autem eo maior fides habenda est, quo notabilior harum formarum constantia in eo est, exemplis idoneis munita a Meyero ad I, 1, 15. Neque abludunt ceteri libri meliores. Cf. Bonnell. Lex. Quint. p. XXII.

§. 68.

Namque is et in sermone (quod ipsum reprehendunt, quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophoclis videtur esse sublimior) magis accedit oratorio generi.

Principium huius loci, si ad insignem lectionis varietatem a codd. praestitam exegeris, an recte constitutum sit, mecum dubitabis. Spaldingius ad vv. *et in sermone* adnotavit: „Flor. *qui et sermone*, a sec. m. *et vi et s.* et sic Turic. Camp. cum Bodl. Ald. Omittunt *in* Guelph. cum Voss. 2 et rell. edd. ante Basil. acc. Obr.“ Omittunt *in* Par. 1, *et in* Par. 2; item *in* abest a Bamb., in quo *iis* pro *is* scriptum. Subiungit Spaldingius: „Si posset probari hic *vim* et *sermonem* (cf. 5, 10, 55) opponendi usus, placeret sane talis ratio prae recepta, in qua scabrities est coniungendi hasce locutiones: *et* — *accedit* — *et* — *comparandus* sine verbo finito in altera parte.“ Recte. Ne multa, in promptu est emendatio loci, qua omnia quae offendere possunt expediuntur, eo certior, quo leniore medicina apparatur: quam debeo acumini Iosephi Regnier Moguntini, qui quum hunc Fabii locum in scholis Seminarii philologici, cuius sodalibus adscriptus erat, paucis abhinc annis tractaret, perspexit legendum esse *namque verbis et sermone.* Ac primum notemus consuetudinem scriptoris *verba* et *sermonem* etiam alibi iungentis, veluti V, 14, 33. *Sermone* autem intelligitur dialogus, qua potestate vox passim apud Fabium obvia. Iam meminerimus, *in* nulla fere auctoritate niti: tum patet verba *et vi* ex mala correctione orta esse: quibus sublatis restat *namque is,* quod oscitante librario facile potuit prodire ex NAMQVEIS, uti olim scriptum putare fas est. Constat enim abunde, *que* in vetustis exemplaribus una littera Q exaratum esse, ut pluribus ostendi ad Cic. de rep. p. XV et ad I, 40. p. 140: tum ab hoc

3

ipso genere scribendi antiquo compendiorum usum minime abhorrere, exempla docebunt Praef. ad Çic. l. l. apposita. Hactenus de loci principio. Haud minus certa de verbis iis, quae in parenthesi leguntur, haud integris, etsi per se spectata vitii nullam suspicionem excitent, statuere licebit. Ac primum quum Turicensis *ipsum quod*, et Florentinus *ipsum qui* exhibeant, horum neutrum quidem ferri potest, documento tamen utraque lectio est, iam olim in hoc loco exhibendo libros fluctuasse. Ceteri vero libri Spaldingio notati cum utroque Paris. et Edd. nonnullis exquisitiorem lectionem *quo ipsum* exhibent, quam eo maiore fiducia amplector, quo frequentius eadem constructione Noster usus est. I, 5, 331: *inevitabilis soni, quibus nonnunquam nationes reprehendimus.* XII, 10, 33: *non erit hac calumnia reprehendendus.* Iam his positis, si ad eos codices, quos primo loco nominavi, quosque prae ceteris tamquam duces sequendos esse constat, respicimus, valde fit probabile, auctorem scripsisse *ipsum quo.* Quod ipsum dicendi genus insolentius, quo relativum uni alterique vocabulo postponitur, nec tamen a consuetudine veterum plane abhorrens, corruptelae ansam praebuisse videtur. Seneca Controv. 8, 4: *Non magis crudeles sunt, volentes qui vivere occidunt, quam qui mori volentes non sinunt.* Cf. Perizon. ad Liv. XXVIII, 12, 13. Apud Ciceronem dubiae auctoritatis est locus or. pro Mil. 16, 42, quo quod secundum plerosque codices ab Orellio receptum est *omnia non modo quae reprehendi palam, sed etiam obscure quae cogitari possunt, timemus,* quo minus sine mora approbemus, impedimur codicis Erfurtensis cura Freundii nunc exprompti auctoritate, *quae obscure* exhibentis. Certior ordo verborum videbitur nunc in edd. vulgatus Lael. 5, 19: *ut ii fuerunt, modo quos nominavi,* quamvis etiam hic codicibus fluctuantibus. Indubia vero quae leguntur or. in Pis. 25, 61: *ut scriba, ad aerarium qui eas* (rationes) *retulit.* IX Philipp. 3, 6: *multis illi in urbibus, iter qua faciebat . . . potestas fuit,* ubi receptam lectionem, cuius loco olim *qua iter* vulgabatur, optimus Vaticanus aliique codd. firmant, firmandam insuper ex Ep. ad Att. IX, 1, 3 *iter qua maxime* ἀπάντητον *esset.* Off. III, 19, 106: *nervosius qui ista disserunt, solum audent . . . qui autem remissius.* Ep. ad Att. II, 1, 2: *vulgo qui instabant . . . iam exhibere molestiam destiterunt.* VIII, 8, 12: *ille, vir qui esse debuit.* IX, 9, 4: *propter domum, Antii quam tum habebam.* Nec dissimile Off. I, 25, 89: *numquam enim, iratus qui accedet ad poenam, mediocritatem illam tenebit.* Nolo huc referre Fin. II, 5, 15: *cognomento qui* σκοτεινὸς *perbibetur,* quoniam poetae, Lucilii ut suspicatur Madvigius, verba esse videntur.

In exemplis hactenus allatis, quae Ottonis collegae diligentiae debeo, et quae augeri possunt ex Zumptii nota ad II Verr. I, 3, 221, etsi me non fugit nullum esse, quod cum ea locutionis forma, de qua agitur, plane conveniat, quum praesertim in plurimis insolentior verborum ordo ex certis quibusdam caussis aptus sit: tamen hoc certe praestant omnia, ut postponi aliquando posse pronomen relativum appareat. Si vero *ipsum quo* recte collocari negaveris, tutissimum videbitur in lectione antiquiorum codicum immutata acquiescere, h. e. *ipsum quod,* cui geminum est quod apud Cic. Ep. ad Att. VIII, 12, 3 exstat: *praesertim quum ex ipsius Pompeii litteris, idem quod video te existimasse, non dubitarim, quin* etc. Ut totum hunc locum plane absolvamus, restat ut quum rursus codd. Turic. et Flor. *reprehendet* exhibeant, quod non potest non esse falso scriptum pro *reprehendent,* id admoneam quominus recipiamus nullam caussam omnino obstare. Immo futuro revera olim locum hic datum fuisse, valde fit probabile eo, quod ab iisdem codd. post *sublimior* inseritur *erit,* quod quidem a verborum contextu, uti nunc constitutus in Mss. legitur, alienum, demonstrare tamen videtur, totum locum alia forma olim vulgatum fuisse, ut non verear adstipulari Herzogio, scripto *reprehendent* et expulsis verbis *videtur esse,* in contextum *erit* recipi iubenti. Nova iam hac forma totus locus prodit: *Namque verbis et sermone (quo ipsum* [vel *ipsum quod*] *reprehendent, quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophoclis sublimior erit) magis accedit oratorio generi.*

in affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis, qui miseratione constant, facile praecipuus.

Non debebat Frotscherus *in* praepositionem ante *miseratione* ex codd. licet Turic. et Flor. revocare. Eam repudiat verbi *constare* usus Quintilianeus. Neque Frotschero paruit Gernhardius. Fortasse olim scriptum fuerit *commiseratione,* nisi, quod malim, *in* ortum dicas ex littera *m* vocis *miseratione* male repetita.

§. 68 et 69.

facile praecipuus. Hunc [Euripidem] *et admiratus maxime est, ut saepe testatur, et secutus, quanquam in opere diverso, Menander.*

Manus Fabii prorsus alia fuisse videtur quam quae a Spaldingio, Frotschero, Gernhardio expressa est: quos de corruptela scripturae vulgatae advertere

debuerat vel pronomen *eum*, in codicibus, quantum scio, tantum non omnibus iisque melioribus ante *secutus* additum, quod in tanto testium consensu nonnisi temere spreveris. Atque id genuinum esse, ex eo facile concludas, quod *hunc* ab antiquioribus codicibus, quibus nunc Bamberg. quoque accessit, ignoratur. Igitur *hunc* ad corvos mittamus. In qua sententia consentientem habeo Herzogium, quem narrat edidisse *Et adm. — et eum secutus* Herbstius, ipse vulgarem loci scripturam temere repetens. Tum Turic. Flor. et Bamberg. *admiratus* (vel *admirandus*) *miratus*, quae dittographia oscitantiae quidem librariorum tribui potest. Ut hoc paulisper largiamur, quid, quaeso, est illud quod Menandrum *saepe testatum* esse Quintilianus refert? Nonne Euripidem *admiratum esse* Menandrum? Iam „ubi, inquit Spaldingius, admirationem testetur, fragmenta nobis relicta non ostendunt,“ neque si superstites essent Menandri fabulae, ostenderent, quum in hoc genere litterarum neque admirandi Euripidem neque commendandi commodus locus esse potuisset. Et si semel hoc ex mente poetae a persona comica factum esse posse concedamus, num *saepe* illud Menandrum testatum credamus? Aliena igitur ab hoc loco, me iudice, omnis admirationis testatae significatio. Hac de loci difficultate quum viginti amplius abhinc annis in Seminario philologico exponerem nec quo modo tollenda ea esset scirem, succurrit Guil. Wiegandii tum sodalis, nunc gymnasii Wormatiensis directoris longe meritissimi, acumen, quippe in *miratus*, quod ex mala dittographia ortum in promptu erat putare, *imitatus* probabiliter latere censentis: quam egregiam coniecturam venia auctoris publici nunc iuris facio. Qua admissa iam plane aliam formam totus locus induit, ac talem quidem, qualem a Quintiliano profectam esse merito tibi persuadeas. Etenim legendum: *facile praecipuus et admirandus. Imitatus maxime est, ut saepe testatur, et eum secutus, quamquam in diverso opere, Menander.* Illa vero coniectura mirifice eo comprobatur, quod Menander Euripidem non solum in iis fabularum reliquiis, quae adhuc exstant, imitatus deprehenditur, id quod pluribus demonstratum dedit Wyttenbachius Bibl. crit. T. III, 1. p. 17 et 2. p. 13, sed imitandi Euripidis studio eo processit, ut totos adeo versus Euripidi surripuerit. V. Meineke ad Men. p. XXXIII. p. 93 [5]) et 122.

5) Agitur de versu, quem ex Carchedonio sumptum putant:

χρεία διδάσκει κἂν ἄμουσος ᾖ σοφὸν
Καρχηδόνιον,

quicum conferunt similes ex Eurip. Electr. 375 et Telepho fr. 10 Matth. locos. Addamus Stheneboeae fr. 3: Μουσικὴν δ'ἄρα
ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν,

Ex illo imitationis genere est versus ille Euripidis celebratissimus, de quo vide Planckium ad Ennii Medeam p. 68, in Menandreis lectus:

μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὐτῷ σοφός,

quem possis suspicari esse ex Ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ, siquidem comparari eum fas est cum his Terentii Heaut. V, 1, 49:

Nonne id flagitiumst, te aliis consilium dare,
foris sapere, tibi non posse auxiliarier.

Comparaverat utrumque locum iam Lindenbrochius.

§. 70.

Nec nihil profecto viderunt, qui orationes, quae Charisii nomine eduntur, a Menandro scriptas putant.

Herzogius, quandoquidem codd. Turic. et Flor. in constituendo Fabii contextu merito duces sequimur, recte fecit quum *adducuntur* reponeret pro *eduntur*, quod ab ceteris omnibus adhuc editoribus vulgatum, quodque non potest dubitari quin ex correctione aliqua ortum sit. Etenim quod in codicibus laudatis, quibuscum Bamberg. consentit, vitiose scriptum invenitur *adductura,* in se abscondere *adducuntur a,* testatur Almeloveensis, id ipsum exhibens. Quod quum Frotscherum minime fugisset, is tamen quod insolentius neque usu dicendi satis probatum ipsi videretur *adducere locum, rationem* etc., eam lectionem aspernatus, legendum proposuit *nomini addicuntur.* Quod si quidem *adducuntur* defendi nullo pacto poterit, nemo non calculo suo approbaverit. At ut cum Frotschero *adducere locum* a bono scriptore dictum negem, tamen verbi *adducuntur* alia ratio hoc loco esse videtur. *Adduci* enim aliquid recte tum dicitur, quum id cui adducatur, aut appositum est aut intelligi potest. Modestinus Dig. XXVII, 1, 6, 11: *quibus promulgationibus potest quis illam rationem adducere.* Nostro iam loco adduci dicuntur Charisii orationes, quod propter ipsarum praestantiam a quibusdam in exemplaribus graecis referantur, quae ad instituendum oratorem peridonea esse videantur.

Nisi forte aut mala illa iudicia... aut meditationes in Psophodee, Nomothete, Hypobolimaeo non omnibus oratoris numeris sunt absolutae.

* quem locum etiam a Platone in Symposio adhibitum Valckenaerius Diatr. p. 407, et ab Aristophane Vespis traductum esse H. Stephanus Certamine Homeri et Hesiodi p. 98 notarunt.

Plurimi libri vel manu scripti vel typis impressi *oratoris*: alii *oratoriis*. Spaldingius ut adstipulantibus ceteris editoribus illud reciperet, eo adductus est, quod oratorios numeros, qui sane non aliter quam de rhythmica orationis dimensione intelligi possunt (v. IX, 4, 45 et 57), ab hoc loco alienos esse recte intelligeret. Sed nihilo magis convenire loco videtur quod nunc vulgatur *oratoris*: quod et ipse Spaldingius non adeo consuetum esse dicit; ferendum tamen, quod ut eius verbis utar, solitae illi locutioni *omnibus numeris absolutae* hic adiiciatur, cuius tandem artificii *numeros* accipere debeamus. Bene dixit *artificii*, non *artificis*, quoniam nullus veterum dixit *numeri artificis*: artificium quidem, ut perfectum atque absolutum sit, numeris suis h. e. partibus (v. VIII. Prooem. 1) constat, artifex vero non constat numeris. Qui igitur esse possunt *oratoris numeri?* Hoc haud facile quisquam dixerit. Adde quod si quid omnibus numeris perfectum vel absolutum dicitur, qua in re id consistat, adiici non solet, quippe ex orationis argumento ipso colligendum, uti §. 91: *Quid tamen his ipsis eius operibus . . . sublimius, doctius, omnibus denique numeris praestantius.* Cicero Off. III, 3: *quod rectum iidem appellant, perfectum atque absolutum est, et, ut iidem dicunt, omnes numeros habet.* Idem de N. D. II, 13: *quod undique aptum atque perfectum expletumque sit omnibus suis numeris et partibus.* Seneca Benef. VII, 1 de luctatore: *qui omnes numeros nexusque perdidicit.* Contra si quid addendum, id genitivo rei, cuius numeri praedicantur, additur, uti in his Ciceronis Fin. III, 7: *quae autem nos aut recta aut recte facta dicamus . . . omnes numeros virtutis continent.* De Div. I, 13: *quod omnes habet in se numeros veritatis.* Si iam nullo pacto neque *oratoriis*, neque *oratoris* stare potest, eo probabilior coniectura nostra videbitur, vocem *oratoriis*, quod in plurimis codd. posthac in *oratoris* transiit, ex glossa ortum esse, quo apertior eius interpretamenti margini ad *numeris* adiecti caussa et origo est.

§. 72.

Atque ille quidem omnibus eiusdem operis auctoribus abstulit nomen, et fulgore quodam suae claritatis tenebras obduxit.

Frotscherus: „Camp. *induxit* (cf. Ovid. Met. II, 395): Turic. *adduxit*. Non absurdum crederem, si quis contenderet Quinctilianum nova ratione dixisse

adduxit tenebras, ut alluderet ad contrarium verbum *abstulit*. Si Turic. solus discreparet cum reliquis, nihil ego de h. l. dicerem; sed quum Campanus quoque aliter legat, facile suspiceris, non percepisse primarium verbum librarios, quorum alii *induxit, obduxit* alii substituerent.“ Mihi quidem nihil putidius videtur argumento illo ab allusione petito, quum praesertim *adducere tenebras* nemo facile ante probaverit, quam idoneum eius dictionis exemplum allatum fuerit. In lectione vulgata minime haerendum. Cic. Acad. II, 6, 16: *conatus est clarissimis rebus tenebras obducere.* Plinius H. N. II, 7 init. *Hac* (luna) *subeunte repentinas obduci tenebras.* Bamb. *abduxit*, quo unde *adduxit* ortum sit, in luce ponitur clara.

Habent tamen alii quoque Comici, si cum venia leguntur, quaedam, quae possis decerpere.

„Fateor me, quid sit *legere cum venia*, ignorare. Cuinam datur haec venia? Legenti an scriptori legendo? Posterius probat Gesnerus in Thesauro Lat. memor huius, quem hic transcurrerat, loci: *excusando si quid minus probabile occurrat.* Sed quae haec est ratio addendi hoc de animo ad indulgentiam composito, qui bona quaedam in hisce scriptoribus sit inventurus? Qui indulget vitiosis, is sane multa poterit probare; sed verendum erit, ne plura quam opus sit. An accipiemus *veniam* legendorum talium a praeceptore discenti concessam? At hoc plane jejunum; neque enim plus inveniet boni qui volente magistro leget, quam qui nolente. Longe aptius erat, si *cum delectu* dixisset, vel *cum cautione*, vel ut §. 116 *cum iudicio.* An forte hoc inerit, si reposueris *cum verecundia?*“ Haec Spaldingius, omnes loci explicandi rationes dilucide exponens, quibus frustra Buttmannus, quem secutus est Frotscherus, continuo subiecit: „Mihi tamen satisfacit Gesneri ratio. Nam venia utique et indulgentia opus est, si quis ceteros comicos, a Menandro obscuratos, legere animum inducat. Qui igitur a vitiis illorum non absterretur, is inveniet, quae excerpere etiam volet.“ Comparato loco §. 116 unice vera et apta videtur ea sententia, qua venia ad liberam legentis potestatem refertur, quae, quum comicos illos Fabius ad instituendum oratorem haud multum conferre ipse dixerit, non in alia re quam in arbitrio eligendi legenti concesso versari potest: quo arbitrio si legens recte utatur, haud defore ait auctor quae decerpere possit. *Cum venia* igitur idem est ac *cum delectu*, uti recte ceperat Spaldingius. Coniectura vero in sententia, cuius ratio ex consilio

Quintiliani facile perspicitur, nulla opus est. Sed subnascitur mihi dubitatio de fide verbi *leguntur*, relegenti haec §. 116: *Multa, si cum iudicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Severus.* Tanta enim est utrinsque loci similitudo in constructione grammatica, ut quum nemo *legatur* in *legitur* mutatum voluerit, quaeri liceat, an in altero loco *leguntur* recte habeat, cuius loco praeter Turic. et Flor. (de libris Paris. et Bamb. siletur) reliqui omnes *leguntur* exhibent. Si quis iam in scripturam Turicensis et Florentini accurate attenderit, eum non potest fugisse, innumeris locis litteras *a* et *u* non recte scriptas, aut non recte intellectas esse, quod corruptelae genus probabiliter ex eo ortum dicas, quod *a* formam ostenderet, cuius duae lineae erectae non clausae essent, id quod in hoc genere codicum passim obviam fit. Quae me eo adducunt, ut *legantur* ab auctore profectum credam. Putidus essem, si earum litterarum confusionis exempla congerere vellem. Praestat unum eo vitiorum genere laborantem locum, qui in vexatissimis censetur, in medium proferre, facile sanandum. Vulgatur VIII, 3, 26: „*Aerumnas* quid opus est? tanquam parum sit, si dicatur *labor*. Horridum *reor:* tolerabile *autumo:* tragicum, *prolem ducendam: universam eius prosapiam*, insulsum.“ Quae verba multis nominibus laborant; nunc partem certe eorum contigit redintegrare, praeeunte Zumptio, qui qua fuit sagacitate, perspexit, singulorum membrorum rationem turbatam esse, restituendumque proposuit: „*reor* tolerabile, *autumo* tragicum: *prolem* dicemus in versu, sed *prosapia* insulsum.“ Verba *quod horridum*, sine dubia manca, non tetigit Zumptius: neque ego nunc tangam. Verrissima vero illa loci distributio et emendatio, si unum *dicemus* excipias. Quod pro *ducendam*, ut vulgatur, Turic. et Flor. cum Ambros. 1 exhibent *dicendi*, id nihili quidem est: sed propius ad veritatem accedit quod legitur in utroque codice a pr. m. et in Guelph. cum Camp. *dicendum*. Videlicet legendum *dicendum* quod ipsum praestat membrana Heidelbergensis, immerito ab editoribus adhuc spreta, cuius de auctoritate dixi Part. I. p. 4.

